

*Cordiū
in mun-
do altero
manife-
statio.*

Dei in cordib⁹ suis obliterant fiuntq;
secundum hominem interiorem lupi,
canes, leones & urfi, quotquot se totos
amori mundi addixerunt. Deniq; quid
quisque in corde suo hic foveat, illic
manifestabitur, & ipsum sequetur, De-
us aut Mundus; quorum hic quidem
illi convertetur in ignem infernalem
hoc Typo præfigurata.

CAPUT XIX.

EUM QUI SUO JUDICIO MISER-
rimus sit, Deo esse charissimum, adeo-
que Christiana cognitione propriæ
miseriæ gratiã Dei conciliari.

*Isaiæ 66. Ad quem respiciam nisi ad
pauperculum, & contritum spiri-
tu & tumentem sermones meos?*

*De con-
temptu
sui ipsiq.*

Hanc sententiam mitissimus Deus
enunciavit, ut animos nostros
mærore oppressos & collapsos e-
rigeret; quẽ quisquis propitium desi-
derat, huic necesse est suo iudicio mi-
serum & humano divinoq; favore in-
dignum declarari, solumq; Christum
fide contemplari. Quicumq; vero sibi
aliquid adhuc videtur, nondum sua
sententia miser est, nec capax gratiæ
divinæ. Unde B. Paulus ait ad Gal. 6. *Si
quis*